



# Disputatio juridica inauguralis de transactionibus

<https://hdl.handle.net/1874/341899>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
 I N A U G U R A L I S,  
 D E

# TRANSACTIONIBUS,

P R A E S I D E D E O O P T . M A X .  
*Ex autoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academij  
 Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu , Nobilissima que  
 Facultatis JURIDICÆ Decreto ,  
 PROGRADU DOCTORATUS ,  
 Summisque in UTROQUE JURE honoribus &  
 Privilegiis ritè , & legitimè consequendis ,*

J U S T U S T U R C Æ U S , Bergozomio-Brabantus.

*Eruditorum Examini subiicit  
 Ad diem 21. Aprilis , horâ locoque soliti.*



TRAJECTI ad RHENUM ,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ  
 Typographi , clc lcc LXXXVIII.

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimisque  
V I R I S,*

D. LUDOVICO TURCÆO,  
Bergozomanæ civitatis à se-  
cretis.

D. J. F. TURCÆO, J. U. D.  
civitatis Tholanæ Syndico.

D. WILHELMO à VRYBERGEN,  
civitatis Tholanæ Prætori ejus-  
demque territorii aggerum præ-  
fecto, totiusque insulæ Superin-  
tendenti, dominiorumque quæ-  
stori spectatissimo.

D. MARINO à VRYBERGEN,  
J. U. D. civitatis Tholanæ excon-  
suli, & à secretis.

D. MARCELLO ALEXANDRO  
van STAPELE, J. U. L. Ber-  
gozomanæ civitatis exconsuli, &  
Graphiaro, &c. amitæ marito.

{ Patruis  
suis.

{ Avun-  
culis  
suis.

D. D. C.

JUSTUS TURCÆUS.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

TRANSACTIONIBUS.

THESSIS I.



Uoniam juxta præceptum JCti Ulpiani  
in *I. I. pr. de just. & jux. verborum prius*  
habenda est ratio & postea rerum ; hinc  
quoque de transactionibus disputaturus  
nominis etymologiam præmittam. Trans-  
actio composita est à trans & actio ,  
notante *Wesemb. ad ff. de transact. n. 2.* de-  
rivaturque à transfigendo , hoc est , fi-  
nem imponendo. Transactionis nomen  
duplici in significatu capitur. Latè pro quacunque negotii com-  
positione, confectione, terminatione, finitione, ita ut tran-  
figere nihil aliud sit, quam quodvis negotium conficere, ex-  
pedire, finire, & facere, ut nullum supersit; sic Cicero, Te-  
rentius & alii scriptores ferè usurpant : eodemque sœpe modo  
in usu juris nostri sumitur hoc verbum ut in *I. 18. §. 4. de dolo*

A 2

malo.

#### 4 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

malo. l. 15. ad municip. l. 5. de decur. l. 1. §. ult. ad Sc. Tertull. l. 1. §. 3. ff. de palt. l. 31. insin. ff. de jurejur. l. 13. §. 7. ff. de his qui infam. & generalis hæc verbi significatio satis perspicue probatur etiam l. 229. & 230. de verb. signif. ubi in hæc verba Paulus scribit : *transacta finitaque intelligere debemus non solum de quibus controversia fuit, sed etiam que sine controversia sunt possessa*, ut sunt judicio terminata, transactione composita, longi temporis silentio finita : strictè & sic passim in usu juris nostri & præcipue in hoc argumento solum pro ea conventione accipitur, per quam rem dubiam, litumve incertam decidimus, finimus, ut pro ea vicissim aliquid demus, vel retineamus. l. 1. ff. b. t. l. 38. C. b. t.

#### I I.

*Transactio* igitur est *conventio de re dubiâ, vel litigiosa certo pretio compontndâ* l. 1. ff. b. t. & l. 2. l. 38. C. b. t. ponimus conventionem tanquam genus transactionis, cum quidam statuant esse contractum innominatum, alii ponunt pactum : quidam nec contractum nec pactum esse dicunt; nos pactum esse asserimus ex l. 9. §. ult. b. t. l. 15. l. 17. l. 28. C. b. t. l. 122. §. 5. ff. de V. O. quia tamen actio per pactum non tollebatur, idco stipulationem Aquilianam & acceptilationem subjecere solebant. l. 2. l. 15. ff. b. t. d. l. 28. C. b. t. Ex verbis definitionis possumus intelligere naturam transactionis & quæ inde dependent; non sufficit, ut fiat de rebus dubiis vellitigiosis, de quibus scilicet nunc lis sit, vel in futurum esse possit, aut metuatur. l. 1. ff. b. t. l. 2. l. 17. C. b. t. sed etiam requiritur, ut convenient de pretio, hoc est, ut aliquid detur à reo, vel retineatur ab actore: transactio enim, quando nihil datur, vel promittitur, vel retinetur, non valet. l. 38. C. b. t. si enim reus totum det, quod petitur, solutio erit: si nihil accipiat actor, donatio erit. Omnis transactio est non gratuita: omnis fit pretio.

#### III. Quo-

## III.

Quoniam tantum transigitur de rebus dubiis vel litigiosis *l. ff. b.t.* ut dictum, consequens est de re judicata transfigi non posse; utpote quæ finem controversiæ inter partes facit, & litem dirimit. *l. i. ff. de re judic.* quia jam certa res est: ideo quod datum vel solutum est ob ejusmodi transactionem, repeti potest, quia nullius momenti est. *l. 23. §. i. ff. de cond. indeb.* non sufficit vero sententiam jure prolatam esse, nisi & effectum habuerit & transferit in vim auctoritatemque rei judicatae. Nam si à sententiâ appellatum sit, valet adhuc transactio. *l. 7. ff. l. 32. C. b. t. l. 23. §. i. ff. de cond. indeb.* per appellationem enim res eo deducitur, quasi judicata non fuisset, & præcedens pronuntiatio pro extinctâ habetur. *l. i. §. ult. ad Sc. Turpill.* quimodo et si nondum appellatum sit quando tamen appellari possit, nihilominus de judicato transfigere licet *d. l. 7.* & quod plus est, si dubitetur an judicatum sit, an sententia valeat, an provocari possit, nec ne, valebit sine dubio transactio, quia lis adhuc subesse potest. *d. l. 23. §. i. l. 7. in pr. l. 11. ff. & l. 32. C. b. t.*

## IV.

Sequitur, ut dispiciamus de personis, quæ transigere possint, & de objecto transactionis, seu de quibus rebus transigere licet: de vi effectuque transactionis, & si quid aliud supersit. Personas quod attinet, transigere omnes possunt, qui pacisci, consentire possunt, & mente sanâ sunt, quamvis corpore agrotent. *l. 27. C. b. t.* hoc est qui rerum suarum habent administrationem, & non tantum domini, verum etiam tutores & curatores possunt pro suis pupillis & minoribus. *l. 56. §. 4. de furt.* *l. 46. §. ult. de administ. int.* quia tutoribus bonorum pupillarium administratio a jure concessa, & quantum ad prouidentiam pupillarem dominorum loco habentur. *l. 27. ff. de*

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

administ. tut. l. 56. §. 4. ff. de furt. l. 7. §. 3. ff. pro emptor. non aliter tamen quam in damni evidentis vitandi causa, & quando jus illorum obscurum, & valde dubium sit, nec probations suppetant: per l. 35. ff. de jurejur. aut si forte alias nihil sint consecuturi. Decidendi non diminuendi causa d. l. 46. §. ult porro transigendi facultas data etiam est procuratoribus, & quidem in rem suam simpliciter, qui possunt & jusjurandum deferre. l. 17. in fin. de jurejur. & loco domini habentur. l. 13. §. 1. ff. de paet. l. 35. ff. de procur. in rem alienam vero, si sint instructi speciali mandato, nam ab eo, cui causæ actio, non litis decisio mandata, non recte interponitur transactio. l. 7. C. h. t. vel constituti simplices omnium bonorum. l. 12. ff. de patti. nam possunt deferre jusjurandum. l. 17. §. fin. ff. de jurejur. possunt novare l. 20. §. 1. ff. de novat. modo evidens domini utilitas id exigat. §. 42. inst. de rer. divis. l. 58. ff. de procurat. procuratores alioqui alienandi potestatem non habent. l. 63. ff. de procurat. l. 16. C. cod. ergo nec transigendi habebunt, quia haec est species alienationis. Plerique procuratores generales distinguunt in tales simpliciter, & cum liberâ, illis negant facultatem transigendi per l. 60. & 63. ff. de procurat. his vero concedunt per l. 58. ff. cod. l. 9. §. 4. ff. de acq. rer. dom. ut ope hujus distinctio textus concilientur: non videtur haec distinctio esse necessaria ad conciliandas illas leges, merito tanquam commentitia improbatur ex mente Vini. hic. c. 3. n. 6.

### V.

Idem etiam dicendum videtur de Syndicis & civitatum administratoribus, qui illarum respectu se habent, ut procuratores privati, nempe ut transigere illis liceat, etiam sine speciali mandato, si res sint valde incertæ & dubiæ: nam rem certam indubitatamque frustra remittunt. l. 2. C. h. t. ubi ejusmodi remissiones à civitatis curatoribus factæ, ambitiosæ vocantur, & merito: non est dubium quin eo facto affectent laudem libe-

rali.

ralitatis, & cupiant alios demereri gratia & beneficio. Ambitio enim gratiam & favorem significat. l. 3. C. de execut. rei judic. l. 65. ff. ad Sc. Trebell. l. 4. in pr. ff. de decret. ab ord. fac. l. 3. ff. de minor. procuratores tamen Principis, inconsulto Principe, hoc est sine speciali ejus mandato non possunt transigere. l. 13. ff. b. t.

## V I

De illo non satis convenit, an pater de bonis filii transigere possit: si rem recte percipere volumus, necesse est, ut, secundum bonorum diversitatem, quæ habet filius, illam quæstionem proponamus. Quantum igitur ad illius bona attinet, illa dicuntur peculia; & dividuntur in pagana & castraria. l. 37. in pr. C. de inoff. testam. pagana iterum sunt vel profectitia vel adventitia, quin de illis possit transigere, non est ambigendum, quoniam pleno jure ad patrem pertinent, et si filius ea administret. §. 1. inst. per quas pers. cuique l. 46. de peculio sed poterunt quoconque tempore ab eo revocari. l. 8. d. t. de bonis adventitiis, quorum ususfructus ad patrem pertinet, etiam transigere potest, quia non modo horum bonorum usumfructum habet, sed etiam legitimam administrationem. l. ult. C. de bon. que lib. in potestat. Castraria dividuntur in vere & quasi talia. l. 11. ff. de castr. pecul. l. 4. & l. 14. C. de adv. divers. jud. cum de utrisque filius disponat pro libitu, quia in his pro patrefamilias habetur. l. 2. ff. ad Sc. Maced. l. ult. C. de enoff. testam. l. 6. §. 13. ff. de injust. rupt. testam. nec etiam pater de bonis filii emancipati transigere potest. l. 10. ff. b. t. cum filius emancipatus extranei loco habeatur. §. 3. inst. de hered. qual. & differ. nemo enim de extranei rebus jus transfigendi habet si. ne ejus mandato. l. 3. in pr. ff. b. t. l. 27. §. 4. ff. de pact. hinc transactio matris non obest liberis, quoniam matri extranei sunt. d. §. 3. inst. de hered. qual. & diff. l. 5. ff. de adopt. junct. d. l. 27. §. 4. l. 55. ff. de ritu nupt. sed & filius emancipatus, ut qui-

## 8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

vis alius paterfamilias pleno jure bona possidet. *l. 182. ff. de verb. signif.*

### V I I.

Ordo exigit, ut dicam de rebus, de quibus transfigere non licet: quædam sunt, de quibus transactio prohibita est sub modo, aliæ, de quibus simpliciter & absolute transfigere non licet sub modo prohibita est transactio de controversiis, quæ ex testamento (quo nomine etiam codicillos complector) oriuntur. *l. 3. §. 1. l. 6. ff. h. 1.* de quibus non aliter transfigere licet, quam inspectis cognitisque testamenti verbis. *d. l. 6. ff. h. t.* ratio autem est, quia exquiri veritas aliter non potest quam inspectis cognitisque verbis testamenti. *l. 1. §. 1. ff. quem-adm. testam. aper.* accedit & hæc ratio quod per ejuusmodi transactiones facile circumveniri possent supremæ hominum voluntates, quas exitum habere etiam publice interest. *l. 5. ff. quem-adm. testam. aper.* quid si transfigentes inspectioni testamenti renuntiaerint an tunc non valebit transactio? non valebit, Ratio, quia legi prohibenti aliquid fieri, aut quid requirenti ad actus alicujus substantiam renuntiare non licet. *l. 3. C. de legib. l. 6. C. de pact. l. 27. ff. dereg. jur.* nequidem, si jusjurandum accesserit, valebit transactio: quoniam nulli actus jure civile vetiti, aut invalidi robur à jurejurando accipiunt. *l. 5. Cod. de legib.*

### V I I I.

Item de alimentis testamento, codicillis, vel mortis causa donationis relictis, non aliter valet transactio, quam interveniente auctoritate vel decreto prætoris vel præsidis. *l. 8. pr. & §. 2. ff. b. t.* de futuris hoc intelligendum est, non de præteritis. *d. l. 8. §. 2. insin. & l. 8. C. eod.* quia in his cessant rationes, quæ in priori casu obstant, nimirum ne homines tenues & exiguae ortu.

fortunæ, quibus plerumque alimenta relinquuntur, neglectis futuris alimentis & modica pecunia præsente contenti, facile trensigant. Cui accedit etiam singularis favor ultimæ voluntatis, ne voluntas testatoris, aliorum indigentia succurrere volentis eluderetur, & alimentarius, contra quam prospexit testator, postea ad egestatem reducatur, proinde non minus alimentariorum quam testatorum in gratiam hoc constitutum est in d.l. 8. ff. b.t. nam oratio Divi Marci per transactiōnem alimenta intercipi noluit, etiamsi si quibus alimenta sunt relicta, satis sint locupletes, tamen oratio locum habet. d.l. 8. §. 7. ff. b.t. transactio tamen valet sine prætoris decreto, quoties periculum non est, ne alimentarius conditionem suam faciat deteriorem, uti hoc declaratur exemplis. in l. 8. §. 6. & ult. ff. b. t.

## I X.

Sequitur de rebus, de quibus absolute transfigere non licet. Absolute prohibita est transactio de criminibus non capitalibus, de capitalibus vero licet excepto adulterio l. 18. C. de transact. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. capitalia crimina sunt, quorum pœna vel mors est, vel deportatio sive exilium aut aquæ vel ignis interdictio, vel metallum. l. 2. ff. de pmbl. judic. §. 2. inst. eod. interdum vero capital id solum significat, ob quod caput non de civitate, sed è medio hominum tollitur sive cuius poena mors naturalis est & supremum supplicium. l. 4. ff. de pœnis. & postremâ hac in significatione hoc loco crimen capitale sumitur, nimirum cuius non alia poena, quam mors est. Non capitalia contra d.l. 18. & l. 1. ratio autem cur de criminibus capitalibus liceat transfigere, non alia esse videtur, quam ratio & intuitus quidam miserationis, quod principes ei ignoscendum censuerunt, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. ult. ff. de prevar. Sed quia conatus ille redimenti sanguinem ex naturali instinctu oritur

B

ad eò,

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

ad eo, ut nec in re turpi pñam mereatur: natura enim cuique insitum, ut se suumque corpus tueatur, & quæ nocitura sunt, declinet. *l. 3. ff. de just. & jur.* quam ob rem, tam accusatori, quam accusato impune transfigere permisum, quia generalis locutio *d. l. 18. C. h. t.* nullum discrimen inter accusatorem & accusatum facit, & rationis paritas. *l. 1. ff. de bon. eor.* qui ante sent. idem exigit; proinde accusator desistens non modo non incidit in pñam talionis sed nec in pñam Sc. Turpilianni pecuniariam, de qua in *l. 3. ff. de prævar.* neque etiam ut prevaricator damnari debet. *l. ult. d. t.* neque etiam necesse habet abolitionem ab accusatione desistens impetrare. nam desistere potest sine pñna Sc. qui desistit permittente principe. *l. 13. §. 1. ad Sc. Turpilian.* etiam potest desistere, & qui desistit permittente jure publico *l. Gracchus C. ad l. Jul. de adult.* Prodest præterea reo transactio, quia ab eodem accusatore amplius accusari non possit, & ab illo liberetur: ajit jc. in *d. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent.* hoc tamen non potest præjudicium adferre causæ publicæ, siquidem privatæ pactione publica coercitio tolli non potest. *l. 5. ff. de part. dotal.* & publicæ disciplinæ vigor non patitur ut delicta maneant impunita. *l. 51. §. 2. ad l. Aquil.* transactionis enim non ea vis est, ut crimen perimat, sed ut accusatio illa ab eodem repeti non possit; nam quilibet alius adhuc eum accusare potest, cum publicorum judiciorum accusatio cuivis è populo pateat. *§. 2. inst. de publ. judic.* si vero nemo alius reperiatur, qui accusare velit, tunc magistratus ex officio suo hoc facere tenetur. *l. 13. ff. de offe. præsid. l. 1. in pr. C. de custod. reor. l. 7. C. de transact. Nov. 128. cap. 21.*

## X.

A superiori regula excipitur adulterium in *l. 18. C. h. t.* cum tamen hodie capitale sit. *l. 30. C. ad l. Jul. de adult.* dico hodie quia olim capitale non fuit, nam pena relegationis vel deportationis adulterio ex lege Julia imposita fuit, ut appareret ex *l. 5. ff. de*

*ff. de question. l. 11. in pr. ad l. Jul. de adult.* sed postea mutata est in pœnam gladii, & sic capitale factum crimen; tamen, Imperatores dum de his in d. l. 18. C. b. t. concesserunt facultatem transfigendi, excepérunt adulterii crimen. Ratio exceptionis esse videtur, quia flagitium illud erat frequens, & quod adulterio familiae turbentur per partum alienorum & spuriorum insertionem; præterea per illam transactionem nova turpitudo committitur, quia accusatio hujus criminis datur tantum patri, marito, & conjunctis personis. *l. 30. C. ad l. Jul. de adult.* in summa, cœtera ferè delicta propriæ turpitudinis finibus continentur, adulterium quandam multitudinem visiorum secum trahit. Sed quis non videt, mentem Imperatorum fuisse, indulgere transfigentibus de criminibus capitalibus, quatenus non nova turpitudo per illam transactionem contraheretur, quod fieret in adulterio, ubi transactio non potest non habere lenocinii speciem secundum Scævolam in *l. 14. ff. ad l. Jul. de adult.*

## X I.

In aliis criminibus, quæ sanguinus pœnam non ingerunt, non licet transfigere. *d. l. 18. C. b. t.* quia cessante in illis redimenti sanguinis miseratione, superest sola turpitudo, ut, si reus de illis transfigat, pro confesso habeatur. *l. ult. ff. de prevar. l. 29. l. 34. ff. de jure fisci.* & accusator, qui transfigit, incidat in pœnam sc: Turpilliani. *l. 1. §. 7. l. 6. in pr. & §. 1. ff. ad sc. Turpill.* quod, non impetrata abolitione, desistit ab accusatione accedit & alia ratio, ne detur occasio delinquendi, facilitate redemptionis delicti per pecuniam sperata: & pœnas ob maleficia solvi summa ratio & jus suadet, & exigit itaque quod Imperatores ajunt, in publicis criminibus pœnam sanguinis non ingerentibus non licitum esse transfigere, nolunt tamen hoc intelligi, ac si in privatis delictis licita esset transactio, sed quod non semper illicita. Licitas videtur esse transactio in privatis delictis si de his agatur civiliter. *l. 7. ff. de condit. furt. l. 13. C. de furt.*

## 12 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

## X I I.

Neque excipiendum à superiori regulâ (scilicet quod non licet transfigere de criminibus non capitalibus) crimen falsi putamus, quoniam *l. ult. ff. de prævar.* eum, qui delatorem corrupit, præterquam in sanguine provicto habet. Quod attinet ad verbum citra, dico in hac *l. 18. C. b. t.* accipiendum esse non exceptive, sive pro præter, quasi Imperatores constituissent, de omnibus non capitalibus criminibus non esse licitum tranfigere excepto falsi crimine; sed prosine sive absque, quasi Imperatores scripsissent, sine falsi accusatione, ut non alias horum verborum sit sensus, quam quod accusator transigens de criminе non capitali incidat in crimen falsi sive accusationem. Hanc vocis illius significationem confirmingant omnes scriptores, & præcipue JCti passim, adeo ut qui hanc sententiam velit convellere, extra turbam sapere velle videri debeat.

## X I I I.

Supereft, ut de vi effectuque transactionis dispiciamus: transactio autem eandem vim habet quam res judicata. *l. 20. C. b. t.* sicut enim res judicata lites finit, ac decidit, finemque controversia imponit, ita quoque transactio. *l. 16. C. de transact.* unde & decisio in jure dicitur. *l. 13. C. defurr.* *l. 17. C. de transact.* vim autem eam accipit statim atque consensum est, licet instrumentum necdum de ea scriptum sit, imo etsi nullum instrumentum sit, modo sine eo de veritate constare possit, quia scriptura plerumque non pertinet ad essentiam. *l. 1. C. de fide instrum.* sed tantum ad probationem rei gestæ. *l. 5. C. b. t.* effectus talis est, ut transactio nullo modo rescindi vel lis instaurari possit, licet ex instrumentis postea repertis de causa aliter liqueat. *l. 19. C. b. t.* exceptis reipublicæ, & pupillorum minorumque causis. *l. 35. ff. de re judicata* *l. 1. & 2. C. si adversus trans-*

*transactionem.* sicut nec sententia ab instrumenta postea reperta potest restaurari. *l. 4. C. de re judicata.*

## X IV.

Sed si quis dolo ad transigendum sit ad adductus, non valet transactio, et si juramento confirmata *l. 42. l. 19. C. b. t.* nam alioquin qui ab ea transactione recedit, non tantum notatur infamia, verum etiam actionem amittit, accepta restituit, pecuniam promissam solvit. *i. 41. C. b. t.* sed si de pluribus causis transigitur, non tota transactio rescinditur, sed ea solum causa vel pars, quae est convicta dolii, relique manent salve. *d. l. 42. infin.* licet nulla res media fuerit, valet tamen transactio. *l. 23. C. b. t.* neque potest, quod transactionis nomine datum est, repeti tanquam indebitum. *l. 65. §. 1. ff. de condit. indeb. l. 2. C. eod. l. 23. C. b. t.* sufficit quod à lite discessum sit; & possunt etiam illi, qui rem ex causa transactionis acceperint, ut justam causam possessionis habentes, usucapere eam. *l. 29. ff. de usucap. l. 7. C. de usucap. pro empore.*

## X V.

Transactio etiam est stricti juris, ut non extendatur ad alias res vel personas: quod ad alias res, quam de quibus expresse inter transigentes convenit, extendi & porrigi transactio non debeat hoc claris verbis testatur Ulpianus in *l. 9. §. 1. & 2. ff. b. t.* ubi ajit transactio quæcunque sit, de his tantum, de quibus inter convenientes placuit, interposita creditur, et si in fine scriptum sit, ab omnibus controversiis discedi; nam si specialiter enumerata sint, de quibus transigeretur, ejusmodi clausula generalis plura non involvit. *l. 31. C. b. t.* Ratio non est obscura, cur stricte sit accipienda transactio; nam qui transigit, item remittit, atque jure suo quodammodo cedit. Quocirca quantum non expresse item remisit, eatenus presumitur illam no-

## 14 DISPUTATIO JURIDICA

luisse remissam. Sic etiam ad alias personas , quam de quibus  
concepta est transactio eam non esse porrigendam probat. *l. 3.*  
*in pr. ff. b. t. verb.* privatis partitionibus non dubium est non lœdi  
jus cæterorum &c. idemque in *l. i. C. b. t.* non obscure Imper-  
ratores indicant.

### X V I.


Ex simplici transactione actio nulla datur. *l. 28. C. b. t.* quia  
est pactum, quod non parit actionem, sed tantum exceptionem:  
ideoque si actor priorem vult repetere actionem, reus quidem  
nullam habet actionem adversus enim, quam non parit nudum  
pactum. *l. 7. §. 4. ff. de pact.* *l. 15. ff. de prescript.* *verb.* *l. 28. C.*  
*b. t.* sed potest se tueri exceptione transactionis. *l. 17. C. eod.*  
quia per pactum vetus actio non tollitur; ideoque stipulatio  
Aquiliana ac acceptilatio ei adjici solebant. *l. 4. ff. b. t.* *l. 2. l. 15.*  
*ff. b. t.* consultius subjicitur stipulatio pœnalis. *l. 15. ff. b. t.* *l. 40.*  
*C. eod.* ut si quis recusat stare transactioni, tunc pœnam in sti-  
pulatum deductam ex causâ transactionis petere possit. *l. 15. ff.*  
*b. t.* sed qui à suâ parte implerit transactionem, is adversus al-  
terum habet præscriptis verbis actionem, quia tunc transactio  
transformatur in contractum innominatum, ut & alia pacta. *l.*  
*6. C. b. t.* *l. 15. ff. de prescript.* *verb.* si vero reus promissa implere  
recusat, actor priorem actionem renovare potest si velit, & rei  
exceptionem transactionis replicatione doli vel in factum infrin-  
mare potest. *l. 27. pr. ff. de inoff. testam.* *l. 14. C. b. t.* *l. 2. si adver-*  
*sus transact.* *l. 28. C. b. t.*

### X V I I.

Coronidis loco annexam quæstionem, an ob enormem lœ-  
sionem rescindi transactio possit beneficio *l. 2. C. de rescind. vend.*  
puta si quis dicat se duplo minus ex causâ transactionis accep-  
se, quam ei debebatur, aut quam in petitionem deduxerat.

Quod

Quod simpliciter negamus; primo quia pro hac sententiâ militat summus favor pacis, quoniam ad hoc inventa est transactio, ut finem litibus imponat. *l. 10. C. h. t.* quas diminui publice interest. *l. 21. ff. de reb. credit.* sicut & jusjurandum, cui transactio æquiparatur. *l. 1. & 2. ff. de jurejur.* & ideo dato jurejurando non aliud quæritur, quam an juratum sit. *l. 5. §. 2. eod.* sic etiam lite finitâ transactione bonâ fide tunc nihil aliud quæritur quam an transactum sit. Secundo quia non defunt textus, quibus id probare possumus. *l. 78. §. ult. ff. ad Sc. Trebell.* *l. 65.* *§. 1. ff. condic. indeb.* *l. 16. C. de transact.* postremo quia in transactione res est incerta, & certam rem esse oportet & quidem contractus tempore, ut locus sit. *l. 2. C. de rescind. vend.* quam ob causam remedium d. *l. 2.* non habet locum in venditione hæreditatis aut nominis, cum nec evictio hic præstetur. *l. 8.* *§. 1. ff. de contrah. empt.* *l. 2. §. 3. l. 4. l. 11. l. 14. §. 1. ff. de hared.* *vend.* *l. 74. §. ult. ff. de evictionib.* *l. 1. C. eod.*



A N:

# A N N E X A.

I.

**V**endor rem venditam præcise tradere cogitur, nec, præstanto id quod interest, se liberare potest.

II.

**C**rimen stellionatus famosum non est.

III.

**D**os profectitia mortuâ in matrimonio filiâ, licet exstent liberi revertitur ad patrem.

IV.

**A**d emptorem hereditatis non transit jus accrescendi.

F I N I S.

MA